~~Test. 4121~~

Jaskimowski Simonis: Triumphus causae eruditae coram Illmis et Reverendiss. Tribunalis Regni Iudicibus – institutus.

T

TR
Pr
D.

Decano
de Ło

MARE
D.

SVE
OR

AVC
ILI
D.C

Vexillifer

Ann

TRIVMPHVS
CAVSÆ ERVDITÆ,
CORAM
ILLVSTRISSIMIS & REVERENDISSIMIS
TRIBVNALIS REGNI IVDICIBVS
Præsidente Illustrissimo & Reverendissimo Domino
D. STANISLAO KRAIEWSKI
Decano & Archiepiscopatûs Gnesnensis Administratore, Custode Łoviciensi, Præposito S. Michaelis in Arce Cracoviensi, Maioris Cancellariæ Regni Regente.
MARESCHALCO ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. SIGISMVNDO
A LVBRANIEC
DABSKI
Palatino Cuiaviensi Brestensi &c. &c.
SVB ANNVA STVDIORVM EXORDI
IN AVLA COLLEGII LVBLINENSIS SOCIETATIS IESV
ORATORIA PROPHASI
INSTITVTVS
ET
AVGVSTO FVNDATORVM SANGVINI
ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. CONSTANTINO
DE RADOCHONCE
WAPOWSKI
Vexillifero Sanocensi, ad Tribunal Regni Iudici Deputato &c.
Domino & Mecænati amplissimo
DEDICATVS.
Anno, Nati ad triumphos DEI, M DC LXXX VII. Calendis Septembribus.
LVBLINI
Typis Collegij SOCIETATIS IESV.

X.

O dilecta Deis! ô magna Cæsaris Arbor!
Ne metuas ferrum sacrilegosq; focos;
Perpetuos sperare licet Tibi frondis honores.
Non Pompeianæ Te posuêre manus, — Martialis lib: 9.

- - - - - primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescens virga metallo. — Virgilius. lib. 6.

- - - - - quemcunq; requiras
Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci.
Per Fasces numerantur Avi, semperq; renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur. — Claudianus



IN ARMA GENTILITIA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS VAPOVIANÆ

ARBOR VAPOVIIS quæ surgit penniger Hortis
Quina super viridi vulnera fronde gerit.
Scilicet in Lechicos hæc ARBOR voluitur vsus,
Et parit ex ramis Stemmata mille suis.
Frondibus ex patulis, longas Mars dedolat hastas,
Fasces & clavas dedolat altus Honor.
Aula regi poscit, Lechico quæ consulit Orbi,
Aut quæ Iuridicâ iurgia lege domat.
Hæc ARBOR lateri frondes breviavit vtriq;
Esset, quæ voces aurea virga daret.
Hinc benè fert summo duplicem pro culmine pennam.
Semper enim Celsos tangit Honore Polos.

AD

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM
D. CONSTANTINVM
DE RADOCHONCE
WAPOWSKI.
VEXILLIFERVM SANOCENSEM
Tribunalis Regni Iudicem.
DEPVTATVM.

QVód hic prodeat in lucem labor, ILLUSTRISSIMO *Poloni Regni* AREOPAGO, *gratiam debet & obsequium; quòd sub* NOMINE WAPOVIORUM, Augustus Majorum sanguis, Tuusq; *evicit* Honor. ILLUSTRISSIME DOMINE. *Erudimus nobilem* LUBLINI *indolem, quia Principis ductu animi, liberalem Collegio erigendo manum contulit* ILLUSTRISSIMA CATHARINA de Maćiejowice WAPOWSKA CASTELLANA PREMISLIENSIS, *& alto dici sanguine nolebat* NATA, *si memoriæ Magni Nominis non consuleret fortunæ gazâ, quam inscripto* Patrimonio *expendit totam*, BERNARDUS MACIEJOWSKI Cardinalis & Frater Eminentissimus. *Hinc Auro æs alienum sustulit ex Bonis Chodelensibus, & in pignus gratitudinis, eorum omnium accepit pectora, qui ex Scholis Lublinensibus, eruditam in sua elogia linguam efferunt. Cælos hodie, terris erepta incolit, & beatæ felicitatis gaudia, memoriâ gratiarum cumulat. imò nostra identidem prospectat domicilia, & Te suorum titulorum* Heredem, *manu indicat, ut, quem nostris à pectoribus habebat censum, eum* Tibi Nepoti Illustrissimo *penderemus. Et merentur hoc amoris pensum, Tua in nos beneficia! ita enim vestigijs* Aviæ Tuæ *insistis, ut Te injurium* Alto sanguini *arbitrareris vivere si Te integrũ Tuaq; omnia non expenderes in clientum obsequia. Nec longis hæc Tibi usibus Virtus discitur, ùt soli claritas, auro pretium, sic* VAPOVIJS *omnibus innascitur probitas. Si ætas nostra non reijcit fabularum commenta, & ex Dijs Magnos Principes nasci edocet, Tu tractabili in quibusvis Tuæ Personæ usibus, naturâ edoces, quòd ex Patre Honore, ex Virtute Matre progenitus sis. Quæ enim dìgnitatũ lumina Orbis Polonus enutrit, Ceras Tuas accendunt, tum demum in Posteris exstinguenda, cùm, quæ vobis innascitur probitas, fomentum*

Par magnis majobus Nepos.

)(

esse desi-

Honoris virtutisq; Heres.

esse desinet. *Redibat à manibus vestris dignitas, & Letho vix non omnis in Polonia Civis indignabatur, quòd illam in sua Penetralia non diverteret, imò Regio se efferri throno putabat quisq;, cùm se fieri sineret fortuna successorem* VAPOVIORUM. *Quanquam & tunc manum ei subtrahebat plurimus, ne, quis esset ex meritis, ad longè impar officium proderetur.* *Contemnimus ad solem faces, quia parem nesciunt accendere diem: & pretio annulus decedit suo, si gemmæ nobili, vile vitrum succedit.* *Polono quotquot erant in Regno Familiæ Principes,* VAPOVIANAM *confluxerunt in* Aulam; *nec ita* minores fluvios in Nomen transire suum cogebat *Vistula, atq; Tuæ Domui, Altus sanguis ex toto vix non propè Polono Orbe illapsus est.* *Et hoc ipsum innuebat Polonia, Genti vestræ ab incunabulis, Arborem deduxistis in Ceras quæ accisas undiq; frondes sustinet tã fascibus honorarijs, quã Domibus exstruẽdis perutiles:* Dignitatis *scilicet* Arbor & Consanguinitatis. ILLUSTRISSIMAS· LUBOMIRSCIORUM, SIENIAVIORUM, OPALENIORUM, DANILOVICIORUM, TECZYNIORUM, BRANICCIORUM, ZEBZYDOVIORUM, OSSOLINIORUM, LESCZYNIORUM, PRZYIEMSCIORUM, *& cæterorum in Orbe Polono Principum Familiarum, quæcunq; Aulas insignia decorant, omnes ex ordine affiguntur Arbori* VAPOVIANÆ, *& quæ se in coronam refingit* KOSTKARUM *solea, palmarem ejus attollit apicem.* *Stravit illa Tuis* MAJORIBUS *ad Cælos tramitem, Tibì eos ad honores Appiam, qui Candidati ad Coronas sanguinem, qui conterminum Regibus Genus, qui Prosapiæ compendium nobilissimæ addecent.* *Et jam hæc multorum esset hominum felicitas summa, ex magnis nasci ad maxima: Tibì ultra honorem, virtus Regia ad prima Regni subsellia portam aperit.* *Neq; enim ex solis libras titulis, Avorum Tuorum gloriam, sed ex meritis.* *Plures hodie vix jã numerat virtutes Cælum, quã quæ Vestris Augustalibus, à primordijs imperant: eo impetu ad rarissima imò alijs inaudita stimulamini decora, ut vos à natura veriùs quàm à longis actibus propendere in virtutẽ probetis: Vnus Tu fidẽ nostram excederes ausis, nisi aures incredulas, corrigeret pupilla oculatior.* *Limen Gentilitiâ obducis Arbore; & Dijs suadentibus optimè! ne Magnorum Parentum Posteritas, Thesaurus Regni Lechici, fatis obvijs rapiaris? nisi quòd solas patulo arceas noxas Atrio, ne subsistant in ijs Laribus, ad quos aditum, solæ habent virtutes.* *Quanquam pridem illis aperta prostant Augustalia, quas in eo numero, educis Patriæ in subsidia, quem nec semel Oriens numeravit in aciè, quantumvis totum ex spe superba Orbem devincturus prodiret. Hinc de Te rapiendo non iam prælium sed triumphos virtutes apparant, eo enim omnes ordine concilias, qui locum Principem cujvis apud Te exhibet.*

Principibus in Regno Polono Prosapijs ex alto Sanguine conjunctissimus.

Contra Turciam ducebas nuper robur Triarium, & seculis anteactis, victor miles indignabatur, quòd in illa nascendo non incidisses tempora, quibus Numen belli Macedo triumphabat. *Dejecisset, Te viso, tumorem ex animo, & Poloni Regni pretium longè majus, è Domo accepisset* VAPOVIA, *ita enim pares in prælia producit viros, atq;* Magni Philippi Regia. *Quippè non sola viros Lacæna parit, Nec sola Orbis Domitores Macedonia! Si suffragijs eundum esset in belli Numina, Tu in Martem Polonũ electus fores.* *Hastatum agebas agmen cum* SIENIAVIO, *& Clavæ hastam Ducales extrudebant à manu, ut, qui sanguine Duci Invictissimo vicinus fueras, Par eidem fieres ex Artis Bellicæ Honorario.* *Sub tentorium descendebas ab acie, & Arborem Gentilitiam induebat spolijs victoria, ut hæc Tibi post prælia decertata in Trophæum fieret, à qua, frondes iñ hastas Cataphractis armandis resecabas.*

Primum inter Hastatos Robur.

Polonæ Themidis indefessus Arbiter subsellium occupas, & totum eo studio perurges animum, ut Te optimo legum Assertore

Solertissimus Causarum Regni Arbiter.

Templa

Templa Fas Sanctum, fora lustret Æquum
Veritas & Pax & Amor per omnes
Ambulet vicos; scelus omne castâ
Exulet Urbe.

Sarbievius

Visnensibus pro Comitiolis Mareschalcum agebas, & primam Nobilium vocem, in Tûi elogia referatam audiebas. Ibat per suffragia, Consilium Reipublicæ, Tui semper Nominis pretio insignitum: pendebant à Tuo nutu sententiæ, sed non minùs animi, cùm perorares. Et jam Te immoriendum hujc officio requirebant desideria, nisi majoribus titulis, Tua merita destinaret REGUM SERENISSIMUS. *Præibas omnibus Anteambulo, & eos ipsos, Tûi amor vicissim ordinabat, ut Te quovis passu & officio sequerentur. Ad Comitia Regni Generalia expeditus aliquoties, ita Personas omnium circumferebas Nuntius, ut domi, fortunarum securi Cives viverent, Tu quoties Spartam eorum ageres: & absolvi solidiùs nulla Causa potuit, si à Tua solertia, non ferebat efficaciam.*

Ad pretium & amorem omnium Mareschalcus pro Comitiolis.

Tecum ipso recense ILLUSTRISSIME DOMINE, *quàm cujusvis in Regno Polono, Muneris habeas caput capacissimum. Totius Palatinatûs negotia credebat Tibi* RVSSIA, *Tu omnes pro gloria absolvebas; & nutâsset profectò tanti moles officij, nisi Tua Arbore, Consilio videlicet* VAPOWIANO *fulciretur. Adibant Te Oratorem, supplices ex ordine Causæ, Tu cujvis promptissimam offerebas eloquentiám, nec illam verbis duntaxat solis turgescentem, sed momentis rationum gravissimis refertissimam: solicitus vel maximê, ut non idem cum illis loquereris, qui semper idem cum omnibus sentiunt, quòd de suo proferre didicerint nihil. Palæstram hanc Consiliorũ, eo fine adibas, non ut aliquid in eá disceres, sed ut quævis probatissima, ad stuporem omnium, ad amorem Tûi & pretium proferres, illudq; eliceres judicium ab Assessoribus, quòd hanc seculis Spartam agere, non annis videreris. Quæ novitas aliens erat in auribus, in tuis fuerat obsoleta, illâq; efficaciâ, non usq; solida expugnabas Consilia, ut adferres extemplò meliora: nec in posterum egebant corrigi, quia supplebat eruditio, quæ tempus breve meditari non permittebat. Deducebas nimirum omnia rationibus, ne inconsultus diceres: Quirinis Patribus vel inde major, quòd eorum in sententias manibus ibant non nisi pedibusq; Cæteri, Tuo etiam pectora pro affectu annuebant judicio, & in omnia, quæ proferebas, jurabant verba.*

Consultissimus pro Generalibus Regni Comitijs Legatus.

Et hinc collige ILLUSTRISSIME DOMINE *quantum Nominis Tui pretium Polonus Orbis habeat! Suffragiis certant purpuræ, ut eos humeros quantocyùs operiant, qnos Sagum integit. Ordinat Honor subsellia, quibus Majores Tuos, in Te Magno Ænea parvoq; Ascanio superstites erigat. Pugnant vocum collisione Provinciæ, quibusnam Tuum Cáput ad Consulta publica dari priùs debeat, sed omnium votis annuet* REGUM SERENISSIMUS, *easq; Tibi destinabit Curules, quæ Regium Sanguinem, Majores Divos, merita Tua decebunt. Ergo jam perge*

Prælium de se rapiedo indicit titulis.

Clara *magnorum Soboles Parentum*
Digne VAPOVI; potes his Avitos
Moribus Manes reducemq; terris
Reddere Patrem.

P. Kanon lib: 2. Odâ 12.

Ita vovet è suo totiusq; SOCIETATis desiderio

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Addictissimus servus & Orator
Etiam ad Aras
SIMON JACHIMOWSKI SOC: JESU.

Obtinuiſſetné Regnum Tullius in URBE tàm infenſa dominatui, ſi minùs prudentiâ Competitoribus præſtitiſſet? neq́; enim illud aggreſſus eſt armis, ſed meritis occupavit, neq́; vanis imaginum titulis fumoq́; pellexit, ſed palam obſedit atq́; expugnavit ingenio.

Guiniſius. Allocutione 3.

Amorem cultumq́; diſciplinarum ita retinet Princeps, ut unà ſecum regnare velit Sapientiam, cujus ſuffragio dominatur in cæteros.

Idem, Allocutione 5.

Qui boni eſſe Principes volunt, & mentis aliquod pondus habent, qui publicam ſpectant utilitatem, ijs nulla res magis eſſe uſui poteſt, quàm rectè loquendi Scientia.

Manuel Imper:

- - - ſapiens uno minor eſt Iove; dives,
Liber, Honoratus, pulcher, Rex deniq́; Regum.

Horat: 1. Epiſt: 1.

TRIUMPHUS

CAUSÆ ERUDITÆ

AD nova de more prælia, evocat Polonam Iuventutem September. JUDICES JLLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI. Sciendi cupidine arrectam indolem, campanæ classico in arenam producit, ut sub tempus Vindemiæ, non Vinum in dolia Diogenis, sed in paginas sudorem doctum, sed distillatam ad Cleanthis lucernam profundat sepiam. Cruorem Othomannicum bibit Danubius in Hungaria, quid non mentis calorem Euripus Aristotelis? & Apollinis Helicon, gratiore in aures murmure illabitur, si juga præter Horatij & Lucani Pharsalicos inundat campos. Permistæ palmis laureæ, sic frontium bellicarum obvolvant cicatrices, ut simul in arentium longo studio capitum coronas crescant. Colligat penna cadavera, quæ per Regni confinium disiecit hasta, & invicti militis in elogia, Pallas prodeat ex illo capite, quòd Vulcanio ferro nobilior diffindit gladius. Stagnat sanguis aggeribus altis interceptus, sed nec calami feriantur in Heroum lacertis; bibunt cruorem Musurmannicum & futuræ victoriæ depingunt lineamenta. Ereptam Christianæ subjectioni Agriam, cingit frequens exercitus, ordinant tormenta vallos, ignem Vulcanus expedit, aër globis quàm atomis scintillat densior, solvuntur in fissuras mænia, nutant cum cervicibus capita, & novus miles insuper conscribitur domi, qui ipsis pugnet pro Heroibus, & Cæsaream fortitudinem eò penna efferat, quò triumphandam cum Turcis rupem vindex flamma cogitat. Et jam moribus quám annis maturior revocatur domo indoles, jam hiberna post sextilia ad Minervæ tentoria, jam à fascibus Cereris ad manipulos Palladis evolat: armis manum literarijs, caput voluminibus evolvendis, linguam facundiæ Tullianæ, totum in prælia sapientiæ despondet hominem. Sed temperemus fervidum momento animum; mensis, quem exordimur, non ubivis arenam præliarem aperit. ùt Tyrones ad pugnam alibi, sic Veteranos Lublini ad triumphos evocat. Datum satis cermini! satis docti sudoris fusum! ultima restant præmia, non aliunde labori annuo reponenda, quàm de POLONÆ libra THEMIDOS, Arbitrio scilicet vestro, JUDICES JLLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI. *Eruditi Fori Actionem*, annus audiit, quem sub Vestris Beneficijs, fortunati egimus, à conflictu rationum, triumphalis superest in coronam decisio. Ut nimirum ubivis pro Arte literaria, sic Lublini concludite; nam in ejus Atria, vel Polonã ideo transtulistis Curiam, quòd non minùs justè quàm sapienter proferatis sententiam: æquè Themidis ac Palladis *Assertores*. Annuite igitur pro indita Mentibus Vestris majestate, ego TRIUMPHUM CAUSÆ ERUDITÆ adjungam breviter Actioni Forensi.

Alluditur ad cinctã protunc in Hungaria Agriam.

Forensis Actionis Triumphus.

Ubivis *Bona Causa triumphat*, & Bonorum Judicum coloniam extra Bononiam reperit: intrat cordis penetralia, & totum hominem in prælia animat. Orbis alter lacrymas Alexandro expressit, ut vel in hoc oculorum cataclysmo periret naufragus, si non posset in prædam emergere

Bona Causa triumphat.

Macedoniæ. Ferrò laborabat Pompejus, ne socium pateretur imperij, Scipionem evertenda Carthago, vexabat Roma Annibalem, quia, *Boni Honesti* studium lacessebat pectora, & Vesuviū in animis accendebat, quo in lucem omnium, efferrentur nomina videri cupida. Cum Horatijs decertabant Curatij, cum Romanis Latini, Ajaces cum Hectore, cum Darate Entelli, quia securitas Latij, dignitatum invidia, Virium ostentatio, Virorum æmulatio, amor demùm *Honesti* ad hæc digna Heroicis Mentibus ausa impellebat animos. Ad innumeram Gradivi cladem, ceu mille amittendas haberent, exponebant Heróës vitas, & immortale Mortibus nomen reddidisse volebant.

Persvadet prælia.

Sed quorum enimverò tanta merita illicio præmiorum? Viles animos stipendium, ignavos præmia, avaros spolia, triumphus magnanimos ad pugnam allicit: nec ita molles Sybaritæ, cupediarum inescantur amore, ac magnorum Ausuum amarore, mentes Invictissimæ.

Domesticas commoditates peregrinationi postponit incommoda.

Auram Patriam parvus heres pertæsus egreditur maternis laribus, & delicias, longo tractu seculorum quæsitas, vel Penatibus ad excubias, vel famulitio, præsentiâ Principis castigato ad usum destinat. Generoso premit calce Imperia, & seipso efficit altiora; teneram agit pupillam per Provincias, & solis ad ingenium illustrat omnia: si non hoc ipso despicit, quòd terrarum potensam molem, uno superet saltu oculi. Operosa urbium arciumque stratagemata ex jocorum metitur artificio, & quam trulla diligens erexit magnitudinem, neglectim ille revidet, acsi Polono oculo nihil par objici, nihil proponi dignū possit. Projectam à turrib⁹ umbram, sic excedit animo, ut eliminet, & terrarum angustias protendit sui nominis amplitudine! Novas linguas ediscit, ad ubivis suæ Patriæ mores edicendos: nec apis displicet æmulari industriam, quò faciliùs domi mellificet ex alieno. Pulchra hæc expeditæ ad exteras nationes indolis commendatio! sed ô quantis locorum viarumq; ærumnis conquisita! Exulat pretio, ignotus Regnis advena; nec Ceris umbras submovet, si lucis alienæ consortio careat. Audaciùs carpitur qui nescitur: & *Actæon* persensit canum suorum morsus, quòd vultum Domini amisisset ex pæna. Inter nationum bellaria sæpè roditur pomum aureum, nec invita mensas occupat progenies Cadmi, ad quam ferculis attritos dentes, acuat famâ exterâ. Tædiosa camporum vastitas, densus sylvarum horror, perplexa viarum multiplicitas, ô quot latronum abdita! ferarum antra! rupium aspera non oggerunt climatis peregrini, menti avidæ! Insidiatur pecuniæ avaritia, vitæ Tyrannis inhiat, suffragantur nemora, perit minas inter & gladios innocentia! Quid dissonum complexioni ætherem? quid auræ intemperiem? quid mores efferos? populorum insolentiam? quid discolos magnatum sales? quid fortunæ invidiam? Non raro mores candidos, infuscant soles exteri, & Ceris alioquin Illustrissimis, fumum locò lucis appingunt. Pleno ore bibimus fontes alienos, & infami limo toties obducimus ora: Exundant in regnorum viciniam, & magnorum Cinerum scintillas extinguunt ultimas. Cohiberent hæc (credo ego) pericula domi, avidam lucis peregrinæ indolem, nisi Causa Honesti præmaleret! Hæc nimirùm Argivos domo expulit, ut incendio probitatis redirent Spartâ meliores. Hæc Ulyssem cecinit sapientem Homero, quòd scientiæ desiderio,

mille periculis exponit vitam.

Multorum mores hominum lustravit & urbes.

Hæc Pythagoram ex silentio vindicavit Harpocratis, quòd studio Astronomiæ peragraret Ægyptum, nec minùs ageret stellarum motus, atq; sui cursum nominis, in memoria posterorum.

Impleat nummis Arithmeticam solers genitor, Urbes & Arces coëmat, Re-

mat, Re-

mat, Regna Regnis adjungat, cænantem prædium', videat suus prandentem pagus; Succedat heres interim, nominis magni avidus, fortunæ palatium occupet, graves auro crumenas numeret, penetralium orbitatem submoveat frequenti satellitio, quid tandem felicium, ex tam hereditate locupletissima eventuum? quid operum ex acervo avaritiæ? Medius-fidius propè est, quàm ut pago pagum abstrahat, dedolet in hastas sylvam, subditos conscribat in gregarios, dividat in vexilla manipulos, dissipet patrimonium in pignora, totum nec unius seculi ærarium, unâ horâ expendat! quo tandem (iterum ex me quæretis) rerum, tantâ Parentum solertiâ quæsitarum exitu? quo solatio? ut scilicet unica, quæ sibi restat heredi vita, TRIUMPHO magni nominis evadat cumulatior. *Fortunas vix non omnes expendit.*

Taceo venalem argento animum.

- - - *qui navem mercibus implet*
Ad summum latus & tabulâ distinguitur unâ *Iuvenalis.*
Cùm sit causa mali tanti! & discriminis hujus,
Concisum argentum in titulos faciesq; minutas.

Viros nimirum ferunt in pectore nautæ, & aquarum procellis ceu cunis Thetidos agitantur infantes. Remis turbant æquora, & ventorum cachinnis proscinduntur. Zephyris implent carbasa, at multò fortioribus suspirijs! Freta contis invertunt, & *Boni Utilis* vexantur studio, usq; adeò effervescunt in merces. ut. *Maris pericula Emetiuntur.*

- - - *neq; fervidis*
Pars inclusa caloribus *Horatius.*
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataq; solo nives
Mercatorem abigant. Horrida callidè
Vincunt æquora navitæ.

Sanè & hîc *BONA CAUSA TRIUMPHAT*. Sed ne solos Iasones in Syrtes & Charybdes vellus pellat Colchicum, molliores Sybaritæ in calicum Brevibus subjêrunt naufragium. Pacem Colophonij, Brachiadæ Regnum, Senatores Antonius, Vitellius matrem, Tyberius nomen, Anacharsis Honestum, vitam Apicius perdidit amore *Boni delectabilis*. Quippè *Omnia subit, audet omnia.*

Luxuries prædulce malum,

mihi vel inde maximum argumentum dicendi: quantùm *CAUSA ubivis sive ex fucato vultu sive ex vero BONA triumphat.*

Imperio Sapientiæ, extorrem quisquis bonitatem egerat, aut fuit Acephalus, aut excors. Non sic mare fluvios, aquas spongia, fluctus arena bibit, ac *Boni omnis pretium Eruditio*. Corpus reliquum *Intelligentiæ* negligunt, quia caput sufficit, in quo residet sapientia: & vicinis adaptant alas humeris, ùt quos parturit conceptus caput, illos penna non humili stylo efferat. Nec Dijs minor Minerva eminet? ex capite Iovis prodijt, ùt quæ bonitas adimplet Orbem, suæ sapientiæ adscribatur. Calce terram premimus, & contemptæ aureum Plutonem efferunt, ut Minerva nascatur, securibus scindi caput Deorum debet! Nec quorumvis manibus obvia! ex ferro victoria, ex ærario nummi, uniones ex aquis, *ex occulto* (Infinitæ credo sapientiæ) *ingenia magister DEUS producit*. Numinis videlicet capite, nactus Orbis sapientiam, hinc illam primis capitibus ponderat. In Orbi sUrbe non angulorum quisquilijs arctabatur! Caput humanum jecit in basim Capitolij, ut pari fano coleretur cum Iove. Erecta throno Principum ministrabat Imperia, & pro sceptri columna, vel caducæo Mercurij, vel *Porphyrij Arbo-* *Eruditionis Causa optima.* *Seneca.*

re fulciebat ſolia : ſceptro leges, haſtâ ſcribebat victorias, commentarijs

A Principibus ſūmè honorata.

onerarias,arte bellandi commentarios, triumphis Cæſares erudiebat. Cum validis Auguſti claſſibus ibant claſſicæ liburnæ Horatij : nec coronata Principe moderamina incedebant hilariùs, quàm ad lyræ ſonitum quàm ad cantus Muſarum: tamdiu immota caſibus capita, quamdiu Pòëticis ſuffulta pedibus. Sub Licinio induiſſe poterat laciniam ex timore Eruditio, qui vel ideo amicam illi ſubtraxit manum, quòd decreta formando nec digitum ſciverat inflexiſſe ſub calamo: pænâ dignior ad infamiam quàm pennâ ad elogium Princeps Aſinus. Sub Trajano Optimo triumphalem implebat currum, & in urbem aliter introduci nolebat, quàm inter purpuras conſulares, inter bellicos lituorum occentus. Falcatis curribus præludebant rotæ Dialecticæ, & centro Univerſi, puncta philoſophica, ſeu in illa dividebat Zeno Continuum, ſeu in partes Ariſtoteles. Imperium exercebat Trajanus, *& ſtudia quæ priorum temporum immanitas puniebat exiliis, ſpiritum & ſanguinem & Patriam receperunt. Cùm inimicas vitiis artes, non odio magìs quàm*

Plinius.

reverentiâ, omnium vitiorum conſcij Principes relegarent, habebat ille in complexu, oculis, auribus, nec invitus præſtabat, quæcunq; præcipiebant illæ, tantumq; diligebat illas, quantum ab illis probaretur. Benè geſtus terrarum Orbis, nihil in vultu purpuræ Alexandro impreſſit, quòd haberet ad latus Ariſtotelem, qui ſupra rudes animos eminebat: nec aurum pallebat ſupra verticem, arcente metum ſapientiâ. Diem dicebat Ariſtoteli, Homero noctē, ut nullis interruptam horis ſapientiam ad Continuum diſponeret triumphorum. Iliadem ſupponebat capiti, ut poſt ſomnia Scipionis, poſt trophæa Miltiadis, volumina etiam ſomniaret, & inſtructo libris cervicali, quietem Principum erudiret. Ultra frontis apicem, pedes etiam coronatos habuit Eruditio, ne in his fortunæ pedicis, minùs ſumptuosè incederet, quàm apud Tyrios ſtabat olim Hercules. Vocales in argento plauſus recepit ab *Antonio Oppianus*

Ærario fortunæ, æſtimatur ſapientia.

Pòëta, quantumvis mutos piſces in materiam accepiſſet: tot videlicet Coronatis, ponderavit pedes Pòëticos, quot verſibus inſtruxit; nec ſegniter fortunæ rotam rapuit, ad quam tanto pedum numero, tantis nummorum rotulis volvebatur. Nempè Regium ſemper comitatum amavit Eruditio! nec latera coronare volebat, ſi non Principum.

Chinenſe Regnum aperuit Romanæ Fidei.

Ad conterminam Moſchoviticæ ruditati C HINAM, quid aditum Chriſtianis recluſit, ſi Artes excludemus Mathematicas? *In obſequium Romanæ fidei* etiamnum populi *intellectum càptivant*, & cor Regis rapiunt, quò faciliùs in populi membra reliqua dominentur. Ad libros R ICCIJ viluerunt merces Luſitanæ, & beata comprehendi felicitas videbatur, cùm ediſceret motus cælicos Princeps barbarus. Ut tubo optico delectaret oculos, ſceptrum detulit ſapientiæ, & thronum ſerenari putavit, ſi Catholicæ notitia fidei, ſuam illi obſcuritatem induxiſſet. Verùm, major eſt doctæ mentis capacitas, quàm ut ſola occupet ſolia & ſubſellia. Sic in Bonum Reipublicæ ſceptrum domi dirigit, ut vibrato foris gladio, felix ævum mercetur. Non

Belli ſummè utilis

diffiteor, plurima potuiſſe in acie, cunctationem Fabij, audaciam Scævolæ, celeritatem Scipiadûm, Agamemnonis pertinaciam, Sinonis aſtutiam, Æneæ laſſitudinem, plura tamen evicit ſapientia, *longè melior, longè præſtantior viribus.*

Muſæus.

Regno vires infenſæ repelluntur ferro vindice, ſed & ferrum, niſi ſcitè vibretur, in proprium vulnera detorquet caput: & ſpem inibi triumphorum diſſolvit, ubi nihil ex prudentum Conſilio, nihil ex probatorum experientia, nihil ex fortium ſtratagematibus concluditur. Frangi toties ſperatur hoſtis, & fractis viribus retroceditur, pro magna tributorum impenſa,

magnum

magnum probrum percipitur. Ubi verò cohortes ſcientia ordinat, caſtra metatur ſolertia, inſtruit aciem Prudentia, ibi hoſtis immenſus parvâ manu ſternitur, ibi præter palmas & laurus, Regna etiam numerantur inter ſpolia.

E vallis Caſtrenſibus ad mænia civitatum, urget gradum dictio, & muros nubibus, Cælo caput & triumphos inſerit ſapientiæ, quòd tantarum molium inventione, ſola plerumq; gaudeat. Illa nimirum Colonias fundat, Urbes erigit, firmat propugnacula, commeatum proſpicit, tumultus edomat, conciliat animos. Illa candorem pectoribus, fiduciam Civibus, ſecuritatem Exteris, rebellibus metum, amorem incolis, Obſequium Regibus, tranquillitatem omnibus, & concordiam ingerit. Fleret ſe Orbis naufragum, mæroris alto obrutus, ſi non doctis ab Artibus haberet anchoram, quæ ſe medijs tueretur in fluctibus, & ex ferri pondere, levitatem adderet onerarijs. Emendicamus ſolatia à rebus ludicris, *humanitatem tamen infortunij, nullum habemus in vita lenimen dulcius, præter Artem literariam. quæ adverſis rebus olim ſolatium, hodie ſalutem affert.* Et certè, *ſi nihil auferentem, nemo damnavit hactenus*, quid Artem literariam? quæ *bonorum omnium fontes aperit*; Ut malum unicum, Inſcitia, ſic (edicto Socratis) unicum Bonum eſt ſcientia. Fortunæ bellarijs fruebantur imperia, & hos fructus ſubſcribebant floribus ſapientiæ: *diſciplinarum Profeſſoribus dabantur olim præmia, & hoc ipſum fuerat ſpecimen florentis Reipublicæ.* Annuite Symmacho IUDICES SAPIENTISSIMI, & animam homini, TRIUMPHUM CAUSÆ ERUDITÆ adſcribite. Ut ſolem ſine luce, ſic *Artem literariam*, nemo hactenus extorrem *Bono* viderat.

Vrbes legibus coercet.

Stobæus.

Xenophon.

Bonum unicum ſapientia.

Symmachus.

Ne abeam extra forum ASTRÆÆ, ex affectu Patronorum, argumentum conquiro; nec quòd meæ diffidam cauſæ; ſuppetias vocis, ſed quòd loqui velim pro communi, nobis Oratoribus domo, gratiam auris poſtulo. Dicā liberè quod ſentio, & causâ nō infirmâ, Sapientiæ firmabo cauſam, videlicet triumphalem, quam ſi non omniū, propugnat ſaltem affectus plurimorum. Coloratos tabo Turcico fluctus attollit Danubius in triumphum, quia ſuum illi Adriam VENETIA, ſuum Viſtulā in ſuppetias affundit LECHIA. Stipulâ aurum premitur, ſi tota ſeges ſtateram occupat: & navis inter procellas exſilit, quam nullis reſiſtentibus, ſoli pellunt ad portum Favonij. Eminet ſupra gigantem pumilio, cui manus ſupponunt cæteri: nec ſubintrat tardior honoris templum, ad quod illi reſerat affectus oſtium. Scilicet lauros cedimus immoto vagina ferro, ubi amor evocatur in prælia! nec purpuram vultus induit, quam affinis virtuti ſanguis inducit Corpori.

Triumphant Cauſæ ex affectu Iudicum.

Actibus Literarijs manum olim *Iulianus* ſubtraxit, quia *Caput Romanum* perdidit, ne ſub illo, Catholicus ſaperet. Ætas noſtra politior, ùt præſentium ſcytharum inſolentiam ferro, ſic veterem barbariem proſcribit calamo. Turpiſſimum putabat dedecus uti literis, quòd ſibi magìs placeret, Apollini chlamydem ſubtrahere, quàm Athenis Minervam. Ex Imperio gymnaſia *Ariſtodemus* ſuſtulit, ut *Epicurj* Achates fidus, *Cumanas urbes* effæminaret. Nobilitati in una cervice caput, Pòëtis omnibus pedes, in uno *Horatio* præcidiſſe volebat *Caligula*, ne poſterorum ad notitiam velociùs rudem deferret tyrānidem. Verùm hanc Sapientiæ Candidatis illatam maculam, vel excidio Tyrannorum expunxit, vel muſarum fluentis, doctior deterſit ætas. niſi quòd, cadere cauſa neſciat, paucis illi reſiſtentibus: nec *Continuum* eſſe definit *Infinitum*, uno puncto ſublato. Stat ſine metu ruendi gloria, quam Regna fulciunt, & quercus radices agit altiores, ſi frequenibus agitatur Africis. Nō deceſſit pretium Sapientiæ, quantumvis aliquorum animis non

Cauſæ Eruditæ, totus Orbis addictus.

mis non placeret. Ut dulci Oceano gutta salsior, sic paucitas rudiorum non officit Literatis: Barbariem solij corrigebat populus eruditior, & expulsam temeritate sapientiam, omnibus calculis revocabat. Prophetas Ægyptij, Chaldæos Assyrij, Driadas Galli, Samaneos Bactriani, Persæ Magos, Indi Brachmanas, Cabaleos Hebræi, Præsidia scilicet Regnorum utilissima è longinquo petebant, alebant magnis sumptibus, Dijs cultu proximo adorabant. Sanè *nulla fuit natio, tam aliena à bonis moribus, tam planè barbara, quæ disciplinas & earum Professores, non fuerit aliquando amplexata.*

Calagninus.

Nec Poloniam fatalem habent literæ, ubi Domus Civilis, rariùs rudes enutrit, quàm Arabia Phænices parit: quin & nomen assumpsit GENTIS LIBERÆ, quò viciniùs arrideret Artibus liberalibus. *Liberalia dicuntur studia quia libero homine (Polono scilicet) digna sunt.* Rubet Roma vultu magis, quàm purpuris Senatorum! quòd Capitolio Sapientiæ, unum caput nonnisi in basim jecerit; quin hoc ipsum in Tullio sustulit, quòd ætatis nostræ ad exemplar, minus dignè forsitan perorâsset. In Polonia Regnum Sapientiæ! nam quot Cives numero, tot sapientes recensemus; & nobilibus animis libertatem indimus, ne Græcorum syllabo Sapientum coarctemur. In Curia silet *Cicero* damnatus capite! nobis liberæ ubivis voces; seu propriam in judicijs spartam, seu Bonum commune pro Comitijs asserimus; tam securi victoriæ, quàm remoti à metu. Catones in Consilijs, Lycurgos in Iudicijs, in exercitu Cæsares, Aristotelem in discursibus, in responsis Demosthenem, in arguendo Periclem, innovamus per mortes, non amittimus. Ut Orbem dominandi libidine Alexander, sic Poloni occupant sapientiâ! quorum labor maximus, æquè manum calamo, atq; hastâ implere. Quin nec parvæ indolis deses æmulatio! inter prima pueritiæ tudimenta, vel frenis equum còërcet, vel caput instruit Arte literariâ. Roma Livios, Plutarchos Græcia ad tumorem non oggerat? eos Orbi Historicos protulimus, qui & agere virtutes noverant & notare. Ex umbris turrium magnitudinem; ex IOANNE SERENISSIMO Magni molem PARENTIS assequimur. Pacta illi Chotimensia, Europæ huic vindicias, Orbis Christianus adscribit: inservire doctis noctibus, Lunam ille coëgit, hìc ejus vultui pallorem intulit, post missionem sanguinis ad defectum toties repetitam. Attritæ Polonâ manu fortitudini insultabat ad Tyram Legatus ille, hic amore Patriæ stimulatus ad arma.

Seneca.

Polonia, Triumphi locus Eruditi.

Commissarius & Historicus Belli Chotimēsis.

Frangit cuncta ruens, nec tantùm corpora pressa
Exanimat, totos cum sanguine dissipat artus. Lucanus

In tripudia pectus subsilit, ubi lingua melleam REVERENDISSIMI BERNARDI WAPOWSKI svadam colligit, & literas incusant gemmæ quod earum apices coronare non possint, quibus præter acumina, inest omnis sublimitas styli. Cracoviensi Capitulo, *Avitam* dedit *Arborem*, vel in Colossum gloriæ vel in fulcrum Exedræ: pennas sibi reliquit Aquilinas, quibus Nomen Polonum ageret sub soles exteros. Folijs excussit *Arborem*, quasi non totidem illa mereretur ad elogium, quot eruditis Lechiæ monumentis conscripserat. Fragmentis Lechicos integravit annales, ne quid vel modicum perderetur, quod ad laudem deforet Caræ Patriæ. Hinc in minimis etiam evasit magnus, illa gesta calamo exaranda credidit, ad quæ non advertunt pleriq;, non quòd illa nō videant, sed quòd nesciant magna facere, ideòq; contemnunt. Ad factorū magnitudinem nolebat suum ille nomen turgescere, nam petitum à fragmentis titulum vel Polonæ ideo Historiæ in frontem obtulit, quòd ex minimis facere magna sciret, inibiq; glori-

Integritas Polonæ Gloriæ ex Fragmentis Wapovianis.

am aliorum

am aliorum infregit, ubi movere pennam ex artificio nescivit ruditas.

SARBIEVIANÆ meta pennæ LUBIENIUS, implevit capite Płocenses Infulas, & ingenio, centenis alibi seculis exspectando, volumina explevit integra. Legit illa Orbis posterus, & ex pretio POMIANORUM applaudit Lechiæ, quòd se doctam in NESTORE suo accepisset.

Historiæ Politicæ Author.

Cum Pericle tonat adhuc KOBIERZYCIUS, numen quondam Atrij SENATORIJ, fortiusq; Leonem Sueticum perimit, quàm ille fatuo terruisse rugitu præsumebat Poloniam. Immortales HERBURTI Cineres colligit penna historica, illuc eos latura, quò cum sole assurgit colossus Rhodius. Casum Icari fleverunt pennæ cereæ, quia laudis inane pondus audebant ferre. VINCENTIUM KADŁUBKONEM

Numen Atrij Senatorij.

Herburtus.

agit pennâ metuente solvi
fama superstes. *Horatius.*

Kadłubek.

ita enim Nomen Patrium tractavit stylo, acsi totius gentis gloria, suo nonnisi calamo influxisset. Monitis Principum urgetur Lechia, & tales animos efformat in Civibus, qualium duxit lineam, VIR CONSILIJ MAXIMILIANUS FREDRO. Podoliensem Palatinum edixerunt merita, ut interceptum Turcica Lunâ solem, efficaci consilio reaccenderet, totiesq; nostro vultuj detraheret pullam, in sole quoties vindicato oreretur.

Vir Consilij FREDRO.

Quid Piassecium? quid Cromerum memorem? Regum vitas & laudes deduxerunt in paginam, quia Virtutes alias nesciverunt agere, quàm Regales. Nobilitatis Polonæ stēmata depinxerunt Bielscij cum PAPROCCIJS, quia Regum post elogia, primā calami duxerunt curam, posse etiam de nobilitate mereri. Iudicat Orbis ex Insignib⁹, quàm insignes ex majoribus meritisq; fuerunt! serenare omnium nolebant oculos præterquam Ceris Polonorum.

Sed ne longus evadam cum DŁUGOSSIO, & Triumphos Artis literariæ ex sepulchro nonnisi majorum eruam, ad ILLUSTRISSIMUM Poloni Regni Areopagum, dictionem inflecto, & quod doctis debetur mentibus, hoc ex primo Officij mei limine honorarium desacro. Fortunas olim Thetidi Polycrates, amicam *vos* manum Sapientiæ spopondistis, & nobilium locò stemmatum, Musas super annulis cum *Pyrrho* geritis. Exercetis senatum per subsellia, & in *Vestrûm* quolibet, multiplicat se non dividit Sapientia.

Auctio Triumphorum ex Illustrissimo Poloni Regni Areopago.

Ad Regni Cancellariæ monumenta, seu CLAVI GENTILITA seu CLAVIM subeuntibus lilijs, portam sibi KRAIEWSCIUS aperuit Honor, quid non ad Regiam Sapientiæ? Eruditâ agendi dexteritate, sic in Regno eminet, ut, quæ Regibus & eorum Primatibus Vicarijs, difficillima videantur negotia, illa MAGNO REGENTI concredantur tractanda. Cordium ediscit intima, ora tamen annulo Hephæstionis signari non egent! sic arcanorum conscia, ut revelare ea nesciant, donec fecerint. Orbes Exteros implet Nomen Polonum, manu Regentis Cancellariæ expeditum; & osculis venerari ejus calamum, nationes ambiunt, qui Lechiæ magnitudinem exscribit semper pro Majestate. Gnesnensis Archicathedræ non marcent lilia, nam ex vivida Administratoris solertia, candorem trahunt: & inferri *Concluso* putantur *Horto*, quoties sub CLAVIM abeunt KRAIEWSCIANAM. Subsellia Polonæ Themidis frequens occupat, & adhuc querelis petitur! quod temporibûs interruptis, Primas Regni sententia audiatur. Stanislao Indigeti Piotrovinum, illi Causas penicillus appingit, quo Iudice in vitam meliorem surrexerunt. Sub CLAVIM toties *Metropolim* Administrator accipit, ut tandem in Polonia Petrus audiat, cui prodromas CLAVES obtulit *suppar* maximis nascendi *Genus*. Æquitatis Polonæ Arbiter, fana nuper diruit Par-

Clavis Illustrissimi Regentis Cancellaria Regni ad Triumphos aperit Capitolium.

ruit Parcicensia, & congesti in rudera lapides, ad mitras pietatem, albis calculis promovent: nec Orphei lyrâ indigent, ad concentum virtutis, Templum illi Honoris erigent Pontificij.

Coronas triumphales nectit Arbor Illustrissimi Tribunalis Regni Mareschalci.

Lucos & nemora Apollo musis, Gentilitiam DÆBSCIORUM ARBOREM, Oratoribus coronat Svada: & hortos in paradysum commutari Hortēsij autumant, cùm hæc illis rotundat periodos Arbor, à qua Polonæ Themidis dependet Pomum. Ex frondibus Caducæos Mercurij, Iacobi baculos, Aristarchi Virgas dedolat, ex quibus hodie Scipionem efformatum præfert Arbitris in ILLUSTRISSIMO MARESCHALCO. Triumphabat Lechiam militaris egestas, & armati virgâ aureâ, docebant DÆBSCIJ, ubi felix inquiri deberet ævum. Ad facem pineam, Ceres olim Proserpinam, vitam Patriæ quæsivit DOMUS DÆBSCIA, & morti obvium objecit animum, quoties Reipublicæ in obsequio, gloriosam subiret. Diogenes reperisse hominem inter homines quantumvis numerosos, non poterat? quia accensam ingenio lucem extinguebat dolio; Ad ILLUSTRISSIMAM GODŹIEMBARUM ARBOREM, tot heroas legimus, quot hæc illos in Orbem domus protulit: nec in stemma aliter à cunis prodeunt, quàm armati. Ternæ Arborem attollunt frondes, quòd in Præsulum Curvaturas, imò Cruces succrescat Archi-Præsules. Victores Isthmicos coronabat Arbor pinea, nec Polonis minor laureis? appendit se Domibus Illustrissimis, & Honorem Marti sociatum, non temulentiæ enutrit amicam Cererem. Quercus alij non robora deducunt in Atria, nam ad Brumæ frigora, cum folijs amittunt vultum; viror DÆBSCIAM colorat Arborem, & vivacem medullam gerit semper in obsequijs Reipublicæ. Nec, quæ manus hominum asperant, progignit nuces! dignitatum insignia, Gradivi arma, majorum Ceræ è ramis pendent, & Astræa securim inserit fascibus honorarijs, ut Consularem tot à seculis Arborem gloriæ immortali afferat. Sanè

- - - hos penes Æquitas
Et septa Tuscis jura securibus Sarbievius
Stipantur, annosæq; leges
Et niveum sine cæde Iustum.

Trophæum Sapientiæ erigit Arbor Illustrissimi Castellani Vielunensis.

Sub tegmine fagi patulæ, Bucolica olim Tityri, vates cecinit Mantuanus, Sub Avita URBANSCIORUM, ARBORE, martialem ADALBERTI spiritum canit fama Poloniæ: nec satyros ab hac sylva in plausus, sed hastatos milites in certamen evocat. Regni Aquilis nidum hæc arbor exhibet, quid eundem subtrahet Sapientum noctuæ? NIECZUJÆ nomen deduxit ab excubijs, ut vigilem in elogia sua alitem non excludat. Undiq; truncata prostat, quia ramos obtulit in hastas militi, & inanes strepitus foliorum rejecit, quòd pugnare aliter URBANIJ nesciant, quam ipso robore. Ab utroq; latere Cicatrices sustinet, quia tantis cohortibus pugnat, quantis frondibus arbor cingitur, nec se mediam in prælia effert, ubi toti corpori vulnera in coronam obtulit. Bellis alij virgulta commodant, & sub levi sternuntur ictu, robur ipsum hæc DOMUS profert, nec aliter Viros gignit Heròás, quàm exercitûs magnam partem. Othomannicus furebat ensis, stagnabat lacrymis permistus sanguis. & naufragio Lechiam eripiebat hæc ARBOR, inibiq; Secundam porrigebat Tabulam, ubi alij desperabant. Hinc Patriæ in præsidium munitur Cruce, ne fatorum turbinibus obnoxia prostet, & alas explicat super Arborem, quòd lacertis Cataphractorum aptet illas quotannis. Stipēdijs manum alij non armis exhibent, tamdiu bellatores sub signis, quamdiu hostes circa Thulen grassantur. Rigatas lacrymis colonorum fruges triturant

turant

turant, & querulas miserorum linguas gladijs obturant, si pro lege Agraria loqui velint aliquid, saginant equos manipulis, ut ad primum de hoste nuntium, fortioribus domum revehantur cursibus. CASTELLANUS VIELUNENSIS non præmijs, militaria librat merita: ex quo adultam indolem sacravit Marti, ita illum heredem fecit patrimonij, ut & vitam offerret in pericula: nisi quod fata invadere eum metuant, qui hostibus nullibi pepercisse didicit. Augustali pectoris pietatem excepit, ne eam Caræ Patriæ denegaret vel semel. Quietem è Palatio, timorem repulit e tentorio, securus vel maximè triumphorum, si vel illos medijs emeretur in periculis. Vaginam frustra ejus ad latus quærimus, stringit ferrum in hostem, & in collis recondit: nisi quòd & manus vaginam obeat, vel tabo Turcico colorata, vel incorporata gladio. In prælia expediuntur alij, & spem inter & metum Polonia titubat, ne corruat eorum lapsu: hastatum ducit agmen URBANIUS & illum

Gaudet cruentis Diva periculis,
Lassare fortuna, duello, &
Per medias docet ire mortes. Sarbievius.

In locum Pegasi Avitum mihi Gryphem proferunt BYKOWSCIORUM Atria, & noctuam Athenis non invident; quòd hæc umbris, Majorum ille ceris pupillam instruat. Applaudit rostris Tullio, quibus segnes animos accendebat in prælia, & Militares inter Aquilas provolabat, cùm *Heroům Siradiam Genitricem* duceret nuper in Palatino. Infestas suis mensis harpyas timuit olim Æneas; magis Gryphem Taurica! Lechiam hæc evocabat in præliũ, & ille fortiùs decertabat pro illa, quàm olim Corvus pro Valerio. Aurum alibi, in Polonia libertatem auream, ad excubias accipit, & hosticos Dracones enecat, ubi illos cum aquilis, hostis expedit Othomannicus. Nec terrarum angulos cum abjectis alitibus occupat, Nidum Principem aquilarum incolit, efferendus honorum in supremos apices. *Sublimitas Bykowsciani Gryphis.*

Magnitudinem Sapientiæ componit litera, Gentilibus Ceris, ceu chartæ impressa PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI STANISLAI WOIANKOWSKI, & suadæ gratiam Abdank ingerit, quo æraria Cæsarum excrescebant in pretia, Ut annulum gemma, corpus ornat anima; sic ille Roxolanam Metropolim: & deesse pretium putatur Archicathedræ, hic ab illa quoties evocatur Thesaurus. Volvitur per manus hominum, & solis ad ingenium, quò se magìs omnium extendit in obsequia, eò majus pretij incrementum accipit. *Suadæ Gratia ex Habdank Wojankowsciorum.*

ZŁOWODZCIANUM ACINACEM acuunt ANSÆ FERREÆ, nè stylo hebeti decertentur prælia: & calamus impigros stimulatur ad ausus, ubi calcar ingenio ANSÆ admovent. Effusæ licentiæ impetus, Majores ferro, ratione cohibet ADALBERTUS, & ANSARUM vaginis infertur GLADIUS, ubi ille Causarum deputatur ARBITER. Ferro Patrium obduxit Ensem, quia Causas ferreæ egestatis propugnat, & IUDEX AUREUS meretur dici, quòd præter scelera nunquàm aurum patitur ante vultum pallere. Ut olim Herculis, sic ZŁOWODZCIUM *Acinacem Hydra* metuit, cujus caput non semel cum ingluvie depulit, cùm fortunis innocentum expleri posceret. Rotabatur Polonus in arenam gladius, & securus triumphorum reddebatur ab Ansis, quæ ejus latera tutabantur. Scilicet ultra enses & clypeos, Ansis etiam hostem prosequi DOMUS hæc didicit INVICTISSIMA, nec eum aliter in arena detinet, atq; ansæ arborem: cedit fusus ex acie, semper seipso minor, quia benè GLADIO ZŁOWODZCIANO dedolatus. Inter picta argento peristromata, auri pretium appendit in se, & *Vocalissimus intra Ansas Złowodzcianas Gladius.*

Cerasq; quamvis vultu dignitatum insignitas, eo igne accendit, quem ex attritu concipit colli hostici. Ardet nimirum Gradivi ad incendia, & quantumvis Reipublicæ non interruptis obsequijs agitatur, nunquam tamen consumitur. ANSAS pulsat medius, & tinnitu aures edocet, quàm & Patriam postponat glebam, ubi Regni necessitas poscit illum ex Ansis vomeribusq; recudi. Ferreum penetrale incolit & terret neminem! sic nimirum prælijs opportunus, ut pacis publicæ Assertor audiat: liber domi, foris non dissolutus, hostem belli opprimit, domi asserit fortunæ Cives.

PATRITIUS ZAŁUSCIORUM ARIES leve tormentum ingenio admovet, ut pro DOMO ILLUSTRISSIMA acutè aliquid proloquatur. Mutum animal sustinetur pro Ceris, at terrarum ubivis plausus vocales colligit: & aures Orbi accipit, cùm perorat. Filum suadæ, purpuras ZAŁUSCIJS ex vellere texit, & Parcarum arma hebetat cornibus, ne vitæ fortunæq; aurea disrumpant stamina.

Filum suadæ ex vellere Załusciano.

Arrectus MURIS LEO NIEBOROVIUS annulo suæ DOMUI despondet sapientiam; nisi quòd pridem in illo Musas cum Apolline insculptas ferat. Pòëtarum commenta illustrârunt PRAWDŹICCIJ, nam quos Orpheus ad lyram muros, hos ad Martis classicum erexerunt NIEBOROWIJ, qui Polonorū fortunas Civium longè tutantur validiùs, quàm à Regno Sinensi coercent Thracas, ne ad prædam cum colonis abigendam excurrant. Imò vitam sibi eripi paterentur LEONES, si vel semel de mœnibus caderent, pro quibus excubandis, annulo se desponderunt. Arcana Principum in aperto habebant, hinc Gygis annulo insigniunt manus, illumq; toties in caput rotant hostium, insilire quoties audent muros Patriæ.

Æternitas annuli Nieboroviani.

BOCZKOWSCIANO CAPITI, ultrò suum subscribit MINERVA genus; nam & gladij excepit ictum, quò faciliùs in lucem publicam, per hoc vulneris eruditi ostiū prodiret. Ut nimirū inter membra reliqua Princeps Caput est, sic ex cumulo meritorum, DOMUS eminet BOCZKOVIANA. Ceris Caput impressit, quia primos inter Poloni Regni Principes, armata profert Consilia, & fronte gladium ceu vaginâ recondit, ut ad primum projectum oculi, quisq; Civis inferat, quám hoc inter prælia CAPUT enatum sit! Et Taurus gemuit Moschoviticus, cùm illi, Mucro Caput in CERAS abscinderet BOCZKOVIANAS.

Armata Capitis Boczkoviani Consilia.

Acutum reddent stylum AVITA MAGNUSCIORUM ACUMINA, & pedes cuspidibus armabunt Oratorios, ne in stadio laudis BOGORIANÆ corruant. Cælis ternæ & terris obvertuntur cuspides, quòd pro Aris & focis in hostem provolent, & Lunam petunt Othomannicam, cùm accisa Mucronibus cornua inter nubes recondit. O manum Clavâ Herculis digniorem! Ter bina simul tela ex nervo proijcit, & Triario robore, pro bis ternis in arenam Hérôibus descendit.

Admirabile Bogoriarum acumen.

PERILLUSTRES DMOSCICCIORUM CERAS, binæ Lunæ accendunt, & in cursu Atticas illustrant Noctes. Mucroni acies super illis inducitur, ut pennas ad elogia CASIMIRI exaranda apparent. In arenam Themidis seu Bellonæ procedit, utrobiq; felicissimè resolvit Nodos Gordios, & virtuti probatæ, ab ipsis Astris coronas petit. Ad lucis plenitudinem currebat Luna Turcica, cùm hic se mediam secaret Gladius, & stipare coëgit sua latera, quò triumphus manifestior fieret ex astrorum famulitio. Tergum illi obvertunt Lunæ, quòd ademptum nitorem sibi, intueri non possint absq; indignantium tributo lacrymarum.

Coronatus astris Gladius.

Intricatas resolvet Sententias acumine Gladius, quem pro Bono Communi

muni

muni ſtringit Delphicum USTRZYCCIANA manus. Dividit ſagittam enſe, quòd volatiles ſcytharum animas in partes frangat, nec à collo deviat Maſurmannico, ubi tàm pilum tenue, mucrone tangat. Nudatus vaginâ proſtat, quia uſibus Patriæ deſacratus, neſcit alibi quieſcere, quàm in manu militari: iam in prælia non procinctus, ſi quæ, aciem exedit rubigine, cingeretur vaginâ. Obvertit acumen Cælis, contra Lunam Turcicam dimicaturus: Arcitenentis terebravit ſagittam, parem noctis Dominæ daturus cladē, ſi quo caſu, lethales Polono Orbi influentias demittere vellet.

Delphicus In manu Vſtrzyccia-na Gladius.

Avita ROSTKOWIORUM Solea, planum iter aperit Eloquentiæ, & pedes ruere non permittit Oratorios, quæ pugnantem in arduis ſuffulſit Patriam. Binis munitur Crucibus, æquè ſignis Bellonæ, atq; Templorum labaris opportuna. Contra Fortunæ lubricum munivit calcem, quantumvis ejus ludibrio, nullibi proſtet obnoxia. Id nimirum pro viribus ROSTKOVIJ peragunt, quod virtus imperat, nec ſe Polonis aliter obſequijs deſacrant, ac ſolidum robur Soleæ.

Soliditas Roſtkoviana Soleæ.

Apollinis pharetram GRANIEWSCIANÆ BALLISTÆ implent, & curſum agilem non ad feras dirigunt ſed ad metam gloriæ. Pennas ſibi Aquilinas inducunt, ut tàm citis paſſibus procurrant in elogia, quàm Poloniam meritis GRANIEWSCIJ cumulant, Acervo ſagittarum SCYLURUS olim concordiam, gloriam illi, Balliſtarum ternione erigunt: nam

- - - - *quæ diviſa beatos* *Claud:*
Efficiunt collecta tenent.

Acervus meritorum in Balliſtis erectus.

OLSZOVIANÆ ZAZNIEVIÆq; FALCES, herbas in coronam ſapientiæ, triumphales demetunt, & aras illis decorant, ne obtrudat aridam ſuis Templis hyemem, Divinorum neglectus. Meſſem hoſticis colligebant ab agris, & exhauſtos bellicis commeatibus manipulos inſtaurabant: Saturni ſæcula reproduxit nuper Patriæ, Primas Regni OLSZOWSKI, & Romæ famem ſatiâſſet ſuâ famâ, niſi eum pulla purpuræ, ſepulchrum eminentiæ Cardinalium invidiſſet. Sed iam Cælo intulit meritorum acervos, quos ſudavit & alſit colligendo: & falces marmore hebetatas reliquit Caro ſanguini, quibus currus obducant, & per cladem livoris fatorumq;, ad fortunæ templum devehantur.

Meſſis gloria Olſzovianis Zaznieviisq; falcibus collecta.

SZEMBECIANAS ipſa purpura depingit ROSAS, ne præter Senatorium, darent locum coloribus adſcititijs. Ut ſe gratas loquerentur in Polonia, frequentiam acuminum in coronam duxerunt: pungunt aures politas in conſeſſibus, & ad ſûi amorem aperiunt pectora. IBICES duxerunt in excubias, non quòd cervos effingant in animis, ſed quod facilem omnibus aditum ad ſe reſerent. Quippè & IBEX EXERCITUS triumphabat in Italia, DUX illi quoties præferretur ROSINUS. Rubet hucuſq; Tybris, RUPRECHTI Sanguine pudefactus, & millenis quantumvis annis attollat mare Adriaticum, tingit tamen hucuſq; purpuram HENRICO SZEMBEK, quòd Apuliæ militem, forti manu deleverit. Coronam illi Imperator Henricus, triumphos Roma debet; hoſtem ferro à muris repulit, ut fortunæ veteri refloreret ad ROSAS. Hinc Florentiam Italiæ non invidemus Poloni! Inſulas nobis Floridas, Boni ſuperi cum SZEMBECIJS conceſſerunt.

Altera intra Poloniam Florentia ex Roſis Szembecianis.

ZAPOLSCIORUM SOLEAM, non minùs Genere Illuſtriſſimo quàm meritis terſam & virtutibus, volvit in Orbem dictio, fortunæq; rotam deſpicit, hæc illi quoties contingit Orbita. Atteritur Regni uſibus & obſequijs, nunquam tamen deficit: & Sol ejus Zodiaco invidet, quòd majorem à titulis lucem, quám ab illo derivet. Rotunditatem induxit ferro, ut

Zodiacus in ſolea Zapolſciana.

in usus Patriæ volveretur celerius: nec in circulum vitiosum impingit, nam
terras obeundo, & illustrat omnia & prodest omnibus.

Harpocrates dedicerit sanè sub ROSA silentium, nos Pythagoræ palæstram excedimus, ubi florens ævum Poloniæ sub ROSA discimus WITKOWSCIANA. Brumæ frigora nescit perpeti Domus hæc, & Favonios gratiarum enutrit, quibus frangat rigores infortunij: ut, cum herbas decoquunt, illa Rosas germinet. Princeps hoc delicium Floræ est? neque tamen sepibus ultra sentes munitur: sic videlicet cujvis facilitatem aditûs ad se exhibet, quantumvis aliqui nesciant enasci ad gratias. Odorem magni nominis per Orbem spargit, & animos undequaq; ad sûi pellicit desiderium: imò folijs pudorem excuteret, si quos duxerat in coronam aculeos, illis se non affigeret humanis usibus.

Florens Ævum sub Rosa Witkowsciana.

Rosarum floribus AGNUM mihi KROSNOVIANUM inserit Polona Themis, ut, quem belli toties victimam litat Polonia, cum illa hodie, vel rosarum floribus coronet. Sed nec herba palmaris deest ejus fortitudini, quas eripit hosti laureas, illis caput redimit; & victum hostem recreat, cùm porrectam ab illo herbam accipit. Ver habebit Eloquentia! ubi stylum floridum sub Agno discet, qui pascitur inter lilia. Super libris stativa triumphator peragat; nam & hæc decuit Agnum Apocalypticum statio, ut in illis totidem laudis suæ legat capita, quot illa hostibus decussit ferro. Dissiliunt in fissuras mænia, hic illis quoties admovetur Aries, & Caput Patriæ coronatum redditur, cui sua in munimen offert cornua. Classicum cornu occinit, & hosti vulnera, triumphos KROSNOVIJS congerit. Sanè non jactet cornu suum COPIA! ex Agni nostri cornibus, omnia Regni insignia depromuntur.

Erudita Agni Krosnoviani stativa.

Ex PATRITIA VAPOVIORUM ARBORE surgit ATRIUM SAPIENTIÆ; Frondes enim vel ideo accisas habet, quòd ex illis non unum Virtutis Honorisq; Templũ construatur. Fateor non ex omni fieri Mercurios ligno? WAPOVIANA quotquot frondes abscissas ARBOR sustinet, tot pro Comitijs Mercurios, pro Comitiolis Mareschalcos, tot Regum Cæsarumq; Oratores ex illis protulit. Recisa habet latera ad belli gloriam, hinc & inde Polono Orbi, cicatrices præsentat, quòd locò præmiorum, illas ìpsas in Stigmata gloriæ accepisset. Quanquam & vulneribus frondium medetur honor, tot in illis titulos affigit Illustrissimos, quot in Orbem Lechicum prodière WAPOVIJ. Dodonæa sanè ego deductam silvâ crederem, nullo enim palmite aspexit Orbem, qui non esset apprimè disertissimus: Ultra GRYPHEM BRANICCIUM, nobiles illi insederunt alites, & plausu vocalissimo narrârunt Orbi; quòd eam ARBOREM CONSANGVINITATIS, nactæ essent, quæ PRINCIPES POLONI REGNI PROSAPIAS, suâ tangit amplitudine. Nidum tamen primatem Aquila super illa accepit, alis enim attollit apicem, qui non inermes columbas, ùt olim Dodona, sed Regios progignit alites. Belli fulmina non sensit miles, hæc illi Arbor quoties offerret laureas, & pennas Aquilæ in coronam accepit, quibus segnes Bellonæ pulveres ex arena decuteret.

Disertissimi ex Arbore Wapoviana Mercurij

Arcem Sapientiæ, MURI exhibent SARBIEVIANI, intra quorum propugnacula, secura suæ gloriæ fortunæq; Polonia regnat. Urbes hostium expugnabant robore leonino SARBIEVIJ, hinc Leonem super muris erigunt, tàm mansvetum in debiles, quàm ferocem in tumidos. Orbem gerit in annulo, quia totum implevit fama: & thesaurum in meritis tam ingentem collegit, ut annuo egeat obsignari. Nec unus sufficit! ex invictis-

Arx Sapientiæ intra Muros Sarbievianos.

sima

sima VLADISLAI REGIS dextera devolutus alter est ad MATTHI-
AM CASIMIRVM SARBIEWSKI; ut, cùm frontem laurea, hanc
ille manum coronaret, quæ Orbis prima Capita in paginas duxit. Et an-
nulus PISCATORIS inserebat se ejus manui, cùm

Monstrandus digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ

Ioninus

URBANUM caneret inter Vates & Reges MAXIMUM. Hinc be-
nè excubat in muris Leo, ubi Domûs Palatinæ ærario, tam grande pretium
ex Regia adjecit manu liberalitas. Nec solus vigilem agit posthac pupil-
lam, colles muris adjungit Pegasus, altiores pro Nomine SARBIEVI-
ANO, excubias positurus.

Thesaurus sub Crucibus Drozdovianis.

SENATORIAS DROZDOVIORUM CRUCES erigit
in Vexillum sapientia, & secura triumphorum militare incipit earundem
gloriæ. Caput galeâ, manum hastâ inarmat Pallas, quid non prælia sub
Crucibus apparet? sub quarum signo triumphabant Cæsares. Sarmatico ful-
gurabant in Cælo, & hostis, oppugnatas non aspexit sine tributo lacryma-
rum. Thesaurum TIBERIUS sub Crucibus reperit, eundem in DRO-
ZDOVIJS Polonia eruit: & Regno pretium deesse putat, si quem in
Sago vel in Toga non numerat. Religionis Atrium infert orbis ex Cruci-
bus? bracteati Tritonis locò, culmen erigunt, & Cælo genus vicinum,
vel ex meritis asserunt, vel ex scipione Archi-præsulum, quem ad aras ex In-
gni efformant.

Helicon Soleâ Lasocciorum productus.

LASOCCIORUM SOLEAM, auro Lechicus anteponit Gra-
divus, & Parnasso Heliconem non invidet, quòd sibi aureus Ganges efflu-
at, cùm hostiles jugulos proculcat SOLEA. Triumphales imprimebat arenæ
passus, & Scythes ultimos terrarum sinus repetebat ex fuga: à lateribus reijci-
ebat pharetram, nè in Patriæ suæ ultionē pernix Solea assequeretur se tardatū
inani pondere. Per obversos, terris, sagittæ aculeos volat, & in quod jugum
refingitur, illud collo imponit Thraciæ.

Martialis

Sed & Te *Iuris & æquarum Cultor Sanctissime legum*
Veridico Lechicum qui regis ore Forum
NICOLAE VICTORINE GRUDZINSKI;

Eruditum intra Pergama Grudziniana Capitolium.

Te inquam veneratur Authorem Sa-
pientia. Exhibent illi Capitolium, GENTILITIA Aulæ Tuæ PERGA-
MA, & armatum in Portis cataphractum collocant, qui tàm facilis repellat
hostes, quàm humanus invitet Eruditos. Turribus olim Danàén Rex Argivus
inclusit, Tu Minervam detines in Patrijs, non quòd Tibi perniciem, ùt illa
Acrisio Patri, moliatur, sed quòd auri pretium apud Te habeat, ideoq; non
una reponatur in Turri. Inter dignitatum catervas, quæ non hospites in
DOMO VESTRA agunt sed incolas, secundum à Virtute locum Sapientia
accipit, nec alia in Bonum Reipublicæ consilia expedit quàm armata. Cau-
sarum Regni Arbiter, precibus veriûs quàm suffragijs electus es, & armatum
intra Portas monuisti Heròém, ne *dolosis Muneribus blanditijsq;* Curiæ perni-
ciosis daret ad Te aditum. Sed nec gravandam auro manum obtulisse pote-
rat, quam eductus mucro occupat, improbitatis ultor, defensor innocentiæ.
Ultra quippé Armatum.

Et Fas & Æqui prisca severitas
Simul tuorum Pergama liminum
Munivit, & dona & repulsos
Probra *retro retulêre gressus.*

Sarbievius

D LASCI-

ŻASCISZEVIUS vel amicam Sapientiæ noctuam, supplebit Corvus, vel illi prævolabit. Phænicem Arabiæ, Latio Anserem non invidemus Poloni, nam & hic nobis beatos soles emeretur, quoties ducit belli insomnem pro Polonis pupillam. Colorem atrum induxit pennis, quia dies atros inscripsit hosti, quocunq; loco præliantem habebat: & æterna vivere meretur sæcula, quæ in pendulo de rostris annulo, proloquitur Patriæ.

Æternitas Żasciszevianæ suadæ.

DOBRSCIORUM SOLEA portam erigit triumphalem, ad Augustal Sapientiæ; nec limen asperat infortunijs, cui Crucis vestigia impressit Pietas. Coronat Crucem Solea, pro cujus vindicijs, cruenta prælia decertabant DOBRSCIJ, & Arma sua, alio nolebant decorarj Insigni, quòd libenter Patrios Accipitres Aquilasq; moverent pro Cruce defendenda. Non efferat vires struthio? ore Soleam Accipiter sustinet, quia in DOMO DOBRSCIANA etiam ille bellicum depascit ferrum.

Triumphalis Porta ex solea Dobrsciana.

Ex hastato JELITARUM ternione, Triariam ŻACCIORUM virtutem deducit suada, & os illis desacrat in elogia, postquam cordis penetralia, fatentur se rimari ipso nomine. Non semel hæc hastarum silva in palmas viruit, cùm Polono exercitui indiceret castra, & hostem infidum sub hastam acciperet.

Triarium robur Żacciorum.

PLASKOWSCIORUM ASCIÆ ultrò desacrat Minerva manum. Ut nimirum in Orbem prodeunti, Iovis caput aperuit, sic beneficij in memoriam, adulta poscit dexteram. Romanos Consules innovat hac in Domo ASCIA, ubi Fascibus honorarijs inserit se, longo usu politam.

Consulares in Domo Plaskoviana Fasces.

Militaris PIASECZYNIORUM Sagitta quadrat stylo nervoso Sapientiæ, & annulum æternitatis accipit, quòd Heroicas actiones incidat Clypeis loricisq;. Binis Armatur Crucibus, ut contra Crucis inimicum audentiùs provolet, & in locum dejectæ Lunæ, cruces erigat super receptis turribus. Ut olim *pugnaci dare jussa Rosso* hæc Domus novit, sic *Imperii fines Lechicumq; victrix ampliat Orbem.* Memorat Magnum (quis enim hîc ex meritis titulisq; non maximus?) Alexandri nomen Kijovia, & palmas bellacissimæ nectit dexteræ, quæ pridem omnes laureas messuisset in Turcia, nisi vitam & sanguinem præliando, liberalior in Patriam quàm in suos, devovisset Reipublicæ. Pulsa pridem est SOCIETAS JESU Novogrodio, & usq; hodie lacrymis abstineri non potest! offunditur imò sepelitur in lacrymis, quòd Mecænatem sibi faventissimum amisisset; sed Tu humanissimâ Tui vultûs serenitate abstergis palpebram. *Illustrissime Nicolae Piaseczyński.* Ita enim à Majoribus Tuis altum sanguinem deducis, ut virtutes eorum magìs in animo exprimas, nec inde leve pretium Nomini Tuo compares, quòd dexterrimâ vivendi activitate, omnes in Te uno vivere Antecessores efficias. Numerosis eorum Ceris delectas oculos, & non Segnis animum ad paria ausa incitas, titulisq; non parvam indignationem permoves, quòd illos tardiùs ad Aulam intromittas, quàm præmittas merita. Sed

Quadrat stylo nervoso sagitta Piaseczyniana.

Cresce victuri studiosus ævi
Matris ô pulcher Proavûmq; sanguis
Arduus quò Te vocat auspicati
Clivus Honor.

P. Kanon in laudem Piaseczynianam.

KOSSAKOVIORUM CORVINUS annulum ori inserit, ad rotundas periodos expediendas. Ita nimirum validam majestatem facundiæ circumferunt KOSSAKOVIJ, ut totus Orbis ab eorum ore pendeat: & quæ dictio in aures volvitur, Orbem peragret in sphæræ annulo.

Pendulus ab ore Kossakoviano Orbis.

STOINSCIANUM ANCILE manum armat Minervæ, & caput illud protegit, ex quo salus Reipublicæ ultra Palladem enascitur. Troiam

olim ab

olim ab Argivorum impetu, Poloniam hodie, ab Osmano Furore immu-
nem reddit, & Lunæ Turcicæ infringit cornua, cùm in illud impingunt.
Odit nimirum molles HÆC DOMUS Cunas: è viscerum Maternorum
tentorio, evolutos infantes PARMA excipit, & feroces Thracum exuvias in
ludum exhibet non puerilem. Reptant per SCUTA pueri, & novênnis
alacritatem Annibalis prævertendo, futuros ex se Cataphractos appromittunt
Patriæ. Ejecti tormentis ignes refringuntur CLYPEIS, & cæcutiens ad
Lunam hostis, pupillam invenit, quæ sibi occidenti, vel faces instruat pa-
rentales, vel viam sternat ad Inferos non obscuram. Umbone ceu rupe
concussus dissilit, & ex venis bullientem educit sanguinem, quo potus mu-
cro Lechiæ, inscribat laudes CLYPEO STOINSCIANO. Ut olim
perfida Genti suæ Tarpeja, sub Scutis cecidit Sabinorum, ita eorum sub Ægide
ruit Turcia, & querelis triumphantem lacessit Martem, quod hanc cordi vi-
cinam succollat Parmam, quæ Musurmannico depicta tabo, illudit Orienti
pudefacto. Nec bellicos duntaxat ictus retundit CLYPEUS, efformat hodie
stateram Themidis, tantumq; habet pretij, quantum ponderis sortiuntur
Causæ optimæ, quibus perinde est felicissimum, STOINSCIORUM atq; ipsius
Veritatis librari manu.

Clypeus Minervæ intra Aulam Stoinscianam.

Absentium memorare nomina, nolim Themidos per subsellia, ne ma-
gnorum recensione titulorum, dolorem vestris in pectoribus excitem.
Occurentium causarum mole impediti, manum calculis Collegis vul-
tum subtraxerunt.

Totus quisquis Senatus est Polonæ Themidis? amicam literis despon-
dit mentem, & caput ab hoc Æquitatis theatro amandâsset, si minùs PAL-
ADI, quàm Astrææ faveret. E FORO LUBLINENSI transtulistis
uriam ad MINERVÆ ATRIA, ut Orbem posterum doceretis, quàm
olonos apud Iudices in una sede moretur cum Themide Pallas. Discimus
reopagi metaphoram, & Aulæ sales non inconditos, decretis severiori-
us temperamus. BOVEM AQUINATICUM totus Orbis audijt, nec ve-
ri Nominis majestatem tumulabit silentio MAĆIEJOVIUS. In DEO-
RUM victimas cadebat olim, nunc pedem figet fortiùs sub pondere Vestræ
Gloriæ. Evolvet se, plaudente æthere, ZEBRZIDOVIANUM LABARUM,
& Judicij vestri monumenta, ad memoriam colliget posterorum. TĘCZY-
NIORUM ASCIA Bracteatum Tritonem eriget, & ad quosvis ventorum
motus, felices Vobis horas indicabit. Nec major Rhodio Colossus deerit;
ARBOR illum efferet JLLUSTRISSIMÆ CATHARINÆ de Maćiejowice
WAPOWSKA, ut, quos sparserat in Collegij fundationem nummos, in illis
locò excussorum Arbore foliorum, laudes vestras inscribat. Sic plus ul-
tra Eruditi Fori procedet Actio! Sub REGE STEPHA-
NO exordium posuit, ut me hodie perorante, sub CO-
RONA TRIUMPHUM SORTIRETUR
Dixi-

Alluditur ad Curiam in Aulam Scholarum translatam.

tum etiam ad Fundatores & Fundatrices Collegij Lublinensis.

Ad Maiorem Dei Gloriam.